

nedum recusauit Iudicem verum etiam de tam parum idoneo hisce Scriptis disentiendis electo inquisitore apud omnes merito expostulauit: quod ut cognouit integerrimus, huiusceque negotii supremus iudex, commissa scripta reuocari iussit, hocque moleste admodum sustinens praefatus Franciscanus de illata sibi iniuria queri caepit, honorisque causa in his disquirendis scriptis, Illustrissimum D. Zacagni Vaticanæ Bibliothecæ custodem,¹ socium sibi saltem adiungi rogauit, quod ipsi haud immerito negatum voluit summus Pontifex.

Hocce recusato iudice, procur. generalis Summi pontificis pronepote, quid de Sua sentiret epistola probaturus iterum adiit eoque absente Pontificium Apocritarium conuenit ut eius beneficio et sua in nos beneuolentia Scriptorum assequeretur copiam, cuius certae gratiæ efflagitandæ pro Sua in nos monachosque nostros propensa uoluntate libenti animo curam suscepit. Verum longioris moræ impatiens procurator ad mox laudatum Apocritarium conscripsit direxitque Schedulam, quam acceptam, ad Summum Pontificem illico detulit, deque illius mandato ad procurat. hæc quæ sequuntur uerba rescripsit.

„De praefatis scriptis,² quorum Copiam enixe flagitat paternitas tua admodum Reuerenda, cum Summo pontifice Sermonem habui, isque se tibi illorum copiam facturum respondit cum ipsi uel de obiectionum grauitate aut ueritate, uel de uindicanda editionis necessitate constabit. caeterum si in iis graue nihil reperiatur ac proinde uindictis nullatenus egeat editio, Se tibi ea communicare nolle significauit omnibusque quibus intererat, idem significasse declarauit. unde de praefatis in editionem scriptis ne moueare amplius, imo potius gaudeas, quod ea silentio inuoluat tenebrisque damnet Summus pontifex. ex hoc siquidem, quam intacta maneat editio, quamque futilia simul et inania sint scriptorum argumenta plane intelliges.“

¹ Der Unterbibliothekar Zacagni hatte sich schon während des römischen Aufenthaltes Montfaucon's als ein ‚captieux émule‘ dieses gelehrten Mauriners bemerkbar gemacht (Tassin p. 588); vgl. App. Bened. XVIII, 63^b.

² Hiezu die Marginalnote: ‚Reponse du Secretaire du pape par ordre de Sa Sainteté.‘